



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 18. Manichæorum Mores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

non attollebant; hos Ecclesia reprehendebat, & docebat, nec ideo sanctam consuetudinem dimittebat. (*)

Sæculum IV.
A. C. 389.

§. XVIII.

Mores Manichæorum.

In libro secundo, qui de Manichæorum moribus agit, S. Augustinus eorum errorem præcipuum de natura, & origine mali refutat. Tum ad examen vocat, quod ipsi tria sigilla, oris, manus, & cordis appellabant, quibus eorum abstinentiæ, & superstitiosæ artes comprehendebantur; tandem multa crimina, quorum convicti erant, refert. Dum de abstinentia a certis cibis loquitur, ostendit, hujus abstinentiæ meritum solo fine, propter quem abstinetur, esse æstimandum. *Ponite quemquam, inquit: qui una c. 13. n. 29. in die refectioe contentus est, cui apponuntur olera, pauxillo lardi condita, iisque vescitur, ut famem sedet, adjungens duos tresve vini haustus, viribus corporis conservandis necessarios; ponite & alium, qui nec carnes comedit, nec vinum bibit, sed quotidie bis manducat, nempe ad nonam, & sub crepusculum, cujus refectio a lauto convivio non abhorret, inferuntur legumina exquisita, & a remota Regione advecta,*

(*) Hæc illis dicta sint, qui hodie Cultum Sanctorum perverse reprehendunt.

Sæculum IV. *advecta, diversimode præparata; qui bibit*
A. C. 389. *vinum coctum, aut melle dulcoratum, sice-*
ram, limoniorum malorum succos saccha-
ro mixtos, aliosve ejusmodi liquores, vino
affines, vel ipso vino lautiores; bibit
quantum appetit, hisque mensæ deliciis que-
tidie absque ulla necessitate assuescit; uter
ex his ambobus videtur vobis temperan-
tior? Exploratum est, hic S. Augusti-
num nihil aliud redarguere, quam super-
stitionem Manichæorum, vinum, & car-
nem tanquam res sua substantia malas
damnantium, alios vero cibos, & potus,
quos sibi putabant licere, sine ullo tem-
perantiæ studio sumentium. At in toto
hoc opere satis indicat, quanti aestima-
ret Christianorum, præsertim Monacho-
rum abstinentiam ad macerandum cor-
pus usitatam; ipse enim Episcopatu susce-
pto, præter olera, & legumina nihil so-
lebat comedere.

c. 14.

Possid. c. 32.

Porro S. Augustinus Romæ Dialogum
Retra. c. 3. scripsit, inter se, & Evodium, in quo ali-
 quas quæstiones de anima tractat; & quia
 exacte discutitur, quid sit animæ magni-
 tudo, ut demonstret, non esse capacita-
 tem corpoream, totus liber nominatur,
 de quantitate animæ. Cum adhuc Ro-
 mæ moraretur, cœpit scribere libros tres
 de libero arbitrio contra Manichæos, oc-
 casione quæstionis de origine mali; nam
 si in mali naturam studiose inquiretur,
 patet,

c. 9.

patet, unicam mali causam esse liberum ^{Sæculum IV.}
 Creaturæ arbitrium. In hoc opere ex- ^{A. C. 389.}
 cellentissima Metaphysica elucet, atque ^{Lib. II. init.}
 argumenta speciosissima, quæ contra Pro- ^{lib. III. c. 2.}
 videntiam Creatoris, & ejus Bonitatem ^{&c.}
 afferri possunt, diluuntur. Unum ex ^{S. Augusti-}
 tribus librum solummodo Romæ scripsit ^{nus.}
 S. Augustinus; secundum, & tertium in
 Africa absolvit, cum jam esset Presbyter
 ordinatus. Hos quoque libros in Dialo-
 gos inter se, & Evodium disposuit. Post-
 quam ultra annum Romæ mansisset, in
 Africam cum quibusdam amicorum suo-
 rum, & popularibus, qui juxta se Deo ^{Possid. c. 3.}
 serviebant, circa annum 389. rediit.

Auctore Papa Siricio factum, ut Ma- ^{Lib. Pont.}
 nichæi ab Imperatore Theodosio proscri- ^{in Siric.}
 berentur. Quia vero Religionem diffi-
 mulabant, & cum Catholicis in Ecclesia
 miscebantur, jussit Pontifex, ut ab omni-
 bus, quoquo modo id fieri posset, com-
 munionem suscipere, & Jesu Christi cor-
 pus ore impuro attingere prohiberentur.
 Idem etiam eos, qui convertebantur, ro-
 gavit. Conversos autem in Monasteria
 relegabat, reliquos dies suos in jejuniis,
 & orationibus transacturos; id solum
 indulgens, ut si sufficienter fuissent pro-
 obati, in hora mortis viaticum eis præbe-
 retur. Universim præcepit, ut hæretici
 impositione manuum reciperentur, & in
 facie totius Ecclesiæ reconciliarentur; id
 quoque

Sæculum IV. quoque speciatim observari jubetur in
 A.C. 389. Receptione Novatianorum, & Monten-
 sium, seu Donatistarum Romanorum,
 Concilio octoginta Episcoporum ab hoc
 Pontifice, octavo Idus Januarii, Arcadio,
 & Bautone Consulibus, (*) id est, sexta
 Januarii anno 386. celebrato. Inde no-
 bis superest epistola Synodalis, novem
 Canones, spectantes ad Disciplinam, con-
 tinens, & ad Episcopos Africae directa.

Conc. Rom.
c. 8.

To. 2. conc.
p. 1028.

§. XIX.

Joviniani condemnatio.

In altero Concilio Romano circiter illud
 tempus, quo ibi Theodosius fuit, vel
 paulo post, Hæreticus Jovinianus damna-
 tus. Is annos pueriles in austeritate vi-
 tæ Monasticæ transegerat, jejunans, pa-
 ne, & aqua vivens, nudis incedens pedi-
 bus, nigra veste tectus, & manibus suis
 laborans. At relicto suo Monasterio,
 quod erat Mediolani, Romam profectus,
 errores suos vulgare cœpit, qui ad qua-
 tuor capita reduci possunt; illos, qui
 cum plena fide per Baptismum regene-
 rati fuissent, a Dæmone amplius vinci
 non posse. Omnibus, qui Gratiâ Bap-
 tismi conservaverint, æqualem merce-
 dem in cœlo obventuram. Virginibus
 non esse majus meritum, quam viduis,
 vel

Amb. ep. 42.
n. 9.

(*) Accurate magis post Consulatum &c.